





10. 6. 19



Handwritten cursive letters, possibly "H H H".

Handwritten geometric shapes, possibly "Z Z Z".

A. 6

PIA
ATQUE SUCCINCTA
CANONIS MISSÆ
EXPOSITIO.

*Autore Venerabili O D O N E
Episcopo Cameracensi.*

Cum brevi de Liturgia Appendice,
ex probatis Autoribus facili
methodo exactâ.


*In gratiam eorum qui sacro Altari
& divinis mysteriis inserviunt.*



PARISIIS,
Apud MICHAELEM VAUGON
Ponte Cambii, vulgò *du Change*,
sub signo S. Michaëlis.

M. DC. CXVI.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.





SUMMO ATQUE ÆTERNO
SACERDOTI,
SUMMI REGIS, ÆTERNI PATRIS
DEI OPTIMI MAXIMI
FILIO UNIGENITO,
INTER PATREM ET NOS
MEDIATORI PACIFICO,
IN MÆDIO TEMPORUM
HOMINI FACTO,
HUMANÆ NATURÆ LABEFACTATÆ
RESTAURATORI
CLEMENTISSIMO,
REDEMPTORI PISSIMO,
SERVATORI
BENEFICENTISSIMO,

ã ij

Handwritten scribbles, possibly initials or a signature.

Handwritten scribbles, possibly initials or a signature.

Vertical text on the right side, possibly a page number or reference code.

A. 6



LECTOREM.

num, AMICE LECTOR, est sui naturae diffusivum; Inde DEUS OPTIMUS, Summum & unum nostrum, ut extrà naturam diffundere ac communicaret, formam nobilissimam ad similitudinem effinxit, quam similitudinem non multò post hunc primi parentis nocentis deformatam, ut

denuò restauraret ; Unigenitum suum misit in mundum ; qui in medio temporum humanam naturam nostram assumens , ut nos ad Divinitatem certo quodam modo eveheret , suam suam cum nostrâ humilitate infinitatem confundere non dedignatus est ; utque in perpetuum duraret tantum beneficium , seque in nos & nos vicissim in se mirabili & inexplicabili ratione transformaret , pridiè quàm pateretur , ac seipsum hostiam immaculatam æterno suo Pa-

tri pro nobis in Altari
Crucis offerret , Sacra-
mentum corporis sui , mi-
ra adinventione , ineffabili
charitate excogitatum , in-
ter discipulos , à discipulis
eorumque successoribus in
Ecclesia celebrandum in-
stituit ; Nobis ut esset apud
Patrem , Sacrificium ve-
rè Latreuticum , Eucha-
risticum , Propitiatorium
& Impetratorium , eo-
demque tenore fidelibus
omnibus in alimentum vi-
tæ æternæ in posterum di-
stribueretur.

Quod cùm sit magnum

ã iiij .

divinæ erga nos pietatis argumentum, nihil est quod ut tanti beneficii memores nos exhibeamus præstare non teneamur, & ii maxime, quos Apostolus Paulus ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei appellat, videlicet Sacerdotes. Verum ut sacrosancta hæc mysteria majori cum attentione & devotione tractentur, necesse est, ut ea penitus intelligant; Ad quod institutum, etsi multa à doctis piisque viris scripta fuerint, tamen quia propter nimiam pro-

lixitatem non omnibus accommodata sunt , idcirco hocce opusculum mole quidem exiguum, sed dignitate præstantissimum in lucem proferre operæ pretium duxi , quod à Domino Odone Cameracensi Præsule incunte xii. Salutis reparatæ sæculo Amicorum rogatu & desiderio compositum est. Quo in opusculo sacri Canonis verba , quibus potissima pars sanctissimi hujusce mysterii continetur , ita clarè & dilucidè explicantur , ut nihil abstrusum , nihil inivium jam


remaneat ; nihilque quod
hisce tremendis mysteriis,
dignitatem non conciliet.

Quod scriptum, cum jam
oblivione delitesceret, nec
nisi in valdè paucorum ma-
nibus reperiretur, in meas
dum Romæ essem, non
forte, sed divini favente nu-
minis providentiâ obtigit,
quod deinde cum à Pos-
sessore pretiosam veluti
margaretam abundantiori
pretio comparassem, inque
meam patriam redux Ami-
cis viris doctis & piis le-
gendum exhibuissem, om-
nes uno ore pronuntiave-

runt dignam quæ ab omnibus , tum Clericis , tum Sacerdotibus ad Myſterii penitioſam intelligentiam anhelantibus , perlegeretur.

Quo incitamento , non meo , ſed illorum , aliorumque piſſimorum virorum iudicio fretus , Clerique quem intimius veneror utilitate commotus , typis mandandum curavi , ut facilius , commodiusque (pro ut brevibus chartis conſtat) haberi poſſit atque tractari.

Ad cujus operis acces-






SUMMO ATQUE ÆTERNO,
SACERDOTI,
SUMMI REGIS, ÆTERNI PATRIS
DEI OPTIMI MAXIMI
FILIO UNIGENITO,
INTER PATREM ET NOS
MEDIATORI PACIFICO,
IN MEDIO TEMPORUM
HOMINI FACTO,
HUMANÆ NATURÆ LABEFACTATÆ
RESTAURATORI
CLEMENTISSIMO,
REDEMPTORI PISSIMO,
SERVATORI
BENEFICENTISSIMO,
ā ij

REGI, PASTORI,
MEDICO, EPISCOPO
ANIMARUM NOSTRARUM
AMANTISSIMO,
ECCLESIAE SUAE SPONSO
DILECTISSIMO,
AB OMNIBUS IN AETERNUM
CREATURIS LAUDANDO
JESU CHRISTO
DOMINO NOSTRO
SE SUAQUE OMNIA
OFFERT, DEDICAT,
CONSECRAT.





AD LECTOREM.

BONUM, AMICE LECTOR, est sui naturâ diffusivum; Inde est quod DEUS OPTIMUS MAXIMUS, Summum & unicum Bonum nostrum, ut suam ad extrâ naturam diffunderet ac communicaret, Hominem nobilissimum plasma ad similitudinem suam effinxit, quam similitudinem non multò post hominismet primi parentis nostri peccato deformatam, ut

denuò restauraret ; Unigenitum suum misit in mundum , qui in medio temporum humanam naturam nostram assumens , ut nos ad Divinitatem certo quodam modo eveheret , suam suam cum nostrâ humilitate infinitatem confundere non dedignatus est ; utque in perpetuum duraret tantum beneficium , seque in nos & nos vicissim in se mirabili & inexplicabili ratione transformaret , pridiè quàm pateretur , ac seipsum hostiam immaculatam æterno suo Pa-

tri pro nobis in Altari
Crucis offerret , Sacra-
mentum corporis sui , mi-
ra adinventione , ineffabili
charitate excogitatum , in-
ter discipulos , à discipulis
eorumque successoribus in
Ecclesia celebrandum in-
stituit ; Nobis ut esset apud
Patrem , Sacrificium ve-
rè Latreuticum , Eucha-
risticum , Propitiatorium
& Impetratorium , eo-
demque tenore fidelibus
omnibus in alimentum vi-
tæ æternæ in posterum di-
stribueretur.

Quod cùm sit magnum

divinæ erga nos pietatis argumentum, nihil est quod ut tanti benefici memores nos exhibeamus præstare non teneamur, & ii maxime, quos Apostolus Paulus ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei appellat, videlicet Sacerdotes. Verum ut sacrosancta hæc mysteria majori cum attentione & devotione tractentur, necesse est, ut ea penitus intelligant; Ad quod institutum, etsi multa à doctis piisque viris scripta fuerint, tamen quia propter nimiam pro-

lixitatem non omnibus accommodata sunt , idcirco hocce opusculum mole quidem exiguum, sed dignitate præstantissimum in lucem proferre operæ pretium duxi , quod à Domino Odone Cameracensi Præsule incunte xii. Salutis reparatæ sæculo Amicorum rogatu & desiderio compositum est. Quo in opusculo sacri Canonis verba , quibus potissima pars sanctissimi hujusce mysterii continetur , ita clarè & dilucidè explicantur , ut nihil abstrusum , nihil invium jam

remaneat ; nihilque quod
hisce tremendis mysteriis,
dignitatem non conciliet.

Quod scriptum, cum jam
oblivione delitesceret, nec
nisi in valdè paucorum ma-
nibus reperiretur, in meas
dum Romæ essem, non
forte, sed divini favente nu-
minis providentiâ obtigit,
quod deinde cum à Pos-
sessore pretiosam veluti
margaretam abundantiori
pretio comparassem, inque
meam patriam redux Ami-
cis viris doctis & piis le-
gendum exhibuissem, om-
nes uno ore pronuntiave-

runt dignam quæ ab omnibus, tum Clericis, tum Sacerdotibus ad Mysterii penitioem intelligentiam anhelantibus, perlegeretur.

Quo incitamento, non meo, sed illorum, aliorumque piissimorum virorum iudicio fretus, Clerique quem intimius veneror utilitate commotus, typis mandandum curavi, ut facilius, commodiusque (pro ut brevibus chartis constat) haberi possit atque tractari.

Ad cuius operis acces-

tionem, Brevem de Liturgia
Appendicem adjunxi, stylo
atque utilitate (ut videre
est) supradictæ explicationi
non imparem, in qua, nempe,
adnectitur significatio
quarumlibet Missæ partium,
prout referuntur ad Christi
Jesu Domini nostri vitam,
Passionem, Resurrectionem,
& Ascensionem. Inque to-
tius corollarium operis ha-
be tibi adjectam insuper
brevissimam orationis Do-
minicæ explicationem à
Beato Francisco Seraphico
dicto compositam.

Fruere , Amice Lector,

hocce munusculo, & si quid
in investigando mysterio
juvaminis attulerit, pro
meo erga te studio, cæle-
stium abundantiam gratia-
rum quibus ad tanta my-
steria sive tractanda sive
participanda idoneus effi-
ciar, libentius apprecare.
Vale.

*Approbatio Reverendissimi Domini
Theologi Ecclesiæ Parisiensis.*

Piam atque succinctam Canonis Missæ expositionem cum Appendice de Liturgia & brevi explicatione Orationis Dominicæ, legi & probavi. Datum Parisiis in Ædibus Beatæ Mariæ, die prima mensis Aprilis anni 1696.

COURCIER Canonicus,
Theologus Parisiensis.

APPROBATIO,

LEgi Manuscriptum cui titulus est, *Pia atque succincta Canonis Missæ Expositio, cum Appendice de Liturgia, &c.* in quo nihil est quod fidei orthodoxæ adversetur, quodque pietati fidelium excitandæ non conducatur. Parisiis pridie Natalis Domini 1695.

De Lestang, Doctor Theologus Parisiensis, Prior S. Martini de Campis Bituricensis,

Extrait du Privilege du Roy.

PAR grace & Privilege du Roy, donné à Paris le 3. May 1696. signé par le Roy en son Conseil, N O B L E T. Il est permis au sieur C. P. de Longeaux, Ecclesiastique, Bachelier en Droit Canonique, de faire imprimer en tel volume, marge & caractère, & autant de fois que bon lui semblera, en Latin ou en François, un petit Ouvrage, portant, *L'Explication du saint Canon de la Messe avec un Abregé de la Liturgie*, ayant pour titre, *Pia atque succincta Canonis Missæ Expositio, Autore Odone Cameracensi, &c.* pendant le temps de six années, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer. Défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer, vendre & distribuer ledit Livre, sous quelque pretexte que ce soit, même d'impression étrangere ou autrement, sans le consentement de l'Exposant ou de ses ayans cause, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, amande arbitraire, & de tous dépens, dommages & interests, comme il est plus au long porté par lesdites Lettres.


Registré sur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, le 17 May 1696. aigné AUBOVIN, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 1. Juin 1696.



Hieronymus super Aggæum
Cap. II.

Sacerdotum officium est
scire legem Dei, & res-
pondere ad quæ fuerint in-
terrogati: saltem illud ha-
beant, ut postquam Sacerdotes
fuerint ordinati, discant le-
gem Dei, ut possint docere
quod didicerint, & augeant
scientiam magis quam opes,
& non erubescant à Laïcis di-
scere, qui noverint ea, quæ
ad officia pertinent Sacerdo-
tum, magisque noctes & dies
in scripturarum tractatu,
quàm in ratiociniis & suppu-
tatione consumant.



PRÆFATIO AUTORIS.

O DO Cameracensis Ecclesie Minister indignus, Vvilbodoni dilecto filio suo sub venerabili Abbate Afliginienfi Fulgentio, Dominicis castris militanti, Salutem.

Præsumptionis argui timeo, quod ausus sum rem difficilem contingere, & extendere conatus in alta profunditate, scilicet exponere Canonem altaris, & probare tanta mysteria, sicut scriptum est. Altiora ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quomodo cumque me judicent alii, tu scis, Frater, quanta precum in-

2 *Praefatio Auctoris.*

stantia me vicisti, ut tantum onus sustollerem, magis credens adjuvari devotione, & precibus tuis, quàm mea virtute: Impium enim erat tanto desiderio non acquiescere, etiamsi vires excedat, & judicavi magis sub fasce ruendum, quàm tibi omninò contradicendum. Itaque confisus in Dei auxilio, & tuis precibus, tibi cœpi præsens apud te; & absens perfecti sine te. Oro autem ut textus cujusque capituli præscribatur expositioni totius, ne citò præsumantur additiones in sacro Canone, quod nefas ducimus fieri, sine Romano Pontifice.





PIA ATQUE SUCCINCTA
 CANONIS MISSÆ
 EXPOSITIO.

TEXTUS CANONIS
 DISTINCTIO PRIMA.

TE igitur, clementissime
 Pater, per Iesum Chri-
 stum. Filium tuum Do-
 minum nostrum ; sup-
 plices rogamus ac petimus , uti
 accepta habeas , & benedicas
 hæc dona , hæc munera , hæc san-
 cta sacrificia illibata , in primis

A ij

4 *Canonis Missæ*
quæ tibi offerimus pro Ecclesia
tua sancta Catholica, quam pa-
cificare, custodire, adunare &
regere digneris, toto orbe terra-
rum, unâ cum famulo tuo Pa-
pa nostro N. & Antistite nostro
N. & Rege uostro, & omnibus
Orthodoxis, atque Catholica &
Apostolica fidei cultoribus.

Domini Odonis Expositio.

QUIA dignum & justum est,
nos tibi agere gratias, Te igitur
clementissime Pater rogamus,
ut à nobis sacrificium accipias,
& quia nostras voces supplici
confessione admittis, Te igitur
clementissime Pater per Jesum
Christum Filium tuum supplices
rogamus à te tale sacrificium
acceptari, ut laudes vocum
substantiale se-

Expositio.

quatur sacrificium. *Rogamus & petimus.* Rogatio ostendit humilitatem, petitio confidentiam. Qui aliquid implorat, humilitatem debet ostendere, & de impetratione confidere. Itaque supplices *rogamus* confidenter *petimus.* Unde scriptum est: Petat à Deo nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris. Et iterum, quidquid credentes petieritis accipietis. *Vti accepta habeas & benedicas.* Accepta, id est grata & placita, accepta habeas, culpis nostris datâ veniâ, non offensus imò nostra devotione placatus, Et *benedicas,* multiplicando gratiam, augendo dignitatem, imò convertendo in excellentissimam immortalitatis & incorruptio-

nis naturam. *Hæc dona.* Hæc dona, quæ tibi donamus, ut tibi maneant per tuam benedictionem firmata: Hæc dona quæ tibi donamus, ut apud te consistant per tuam benedictionem incorrupta: Hæc dona, quæ tibi donamus, ut fiant tibi Deo accepta, si quidem, Verbum caro factum est. *Hæc munera.* Solemus illos munere à quibus aliquid molimur obtinere. Hæc munera, quibus te in pane terreno muneramus, ut obtineamus eum cælestem. Hæc munera, quibus in corporali cibo te muneramus, ut alimentum inde spirituale consequamur. Hæc munera quibus te muneramus in substantia panis & vini, ut percipiamus inde corpus & sanguinem Chri-

sti. *Hæc sancta sacrificia illibata.* Sancta, quia adhuc integra & intacta. Neque enim contingi debent donec sumperint vim spirituales & conversa fuerint in Christi corpus & sanguinem: nam prius sumpta corpus tantum pascerent, unde quidam superioribus adjungunt quod sequitur, sic distinguendo: *illibata inprimis*, id est, intacta primum, quousque divina benedictione munita, ad salutem fumantur animæ & corporis. Et hoc verbo admonemur, ut appositus panis integer sit, & nulla fractione vel læsura violatus. *Inprimis, quæ tibi offerimus, pro Ecclesia tua sancta Catholica.* Inprimis quod superioribus jungitur secundum prædictum sen-

sum, jungitur etiam inferioribus, significando quod offeramus hostiam primum pro tota Ecclesia, deinde pro aliis quæ sequuntur. *Quam pacificare*, Ab hostibus visibilibus, & invisibilibus, ut nec hominum persecutionibus conculcetur nec instinctu dæmonum criminibus polluatur. *Custodire*, In ipsa pace. *Adunare*; Ne schismatibus ullis, & hæresibus dividatur, sed in unitate sacramentorum Catholicæ fidei, in omnibus tota adunetur Ecclesia. *Et regere digneris toto orbe terrarum*, ut in suis conciliis, dispositionibus, judiciis, decretis, institutis, actionibus, nullo decipiat error & in omnibus tuo ducatur moderamine. *Vnâ cum famulo tuo Papa nostro, & An-*

tistite nostro, & Rege nostro & omnibus Orthodoxis, atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus. De toto descenditur ad partes. Ut cum imprimis pro tota Ecclesia oratio fieret, postea de singulis solliciti simus. Alio namque tota Ecclesia eget regimine, alio singulae Ecclesiae, & alio singuli homines. Alia cura rebus est exhibenda publicis, alia privatis. In tribus autem personis, pro quibus orandum proposuit, hoc observandum videtur, ut pro Papa verò, & Antistite & Rege orent reliqui Presbyteri. *Orthodoxis*, idest vita & doctrina gloriosis, quorum fama dilatatur in populo, merito vitæ & doctrinæ. *Fidei cultoribus*, Non fidem tantum habentibus. A-

aliud est enim fidem habere, & aliud fidem colere. Fidem colit, qui studet & intendit secundum fidem vivere, cum multi fidem habeant, qui hoc non faciant.

TEXTUS CANONIS
 Distinctio secunda.

*Memento Domine famulorum
 famularumque tuarum N. N. &
 omnium circumstantium quorum
 tibi fides cognita est & nota de-
 votio, pro quibus tibi offerimus,
 vel qui tibi offerunt hoc sacri-
 ficiū laudis, pro se suisque
 omnibus, pro redemptione ani-
 marum suarum, pro spe salutis,
 & incolumitatis suæ; tibi que
 reddunt vota sua aeterno Deo vi-*

vo, & vero. Communicantes, & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ semper Virginis Mariae genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomæ; Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi, Lini, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tue muniamur auxilio, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quesumus

12 *Canonis Misse*

*Domine , ut placatus accipias ,
diesque nostros in tua pace dis-
ponas , atque ab aeterna damna-
tione nos eripi , & in electorum
tuorum jubeas grege numerari.
Per Christum Dominum nostrum.
Amen.*

Domini Odonis expositio.

PRIMA periodus huc usque
protensa pro tota Ecclesia om-
nibusque fidei cultoribus orat.
Secunda quæ hîc incipit , pro
præsentibus se accingit , qui
sancti sacrificii sunt astipulato-
res & cooperatores. *Memento
Domine famulorum famularum-
que tuarum & omnium circun-
stantium* , id est , *Memento* qui-
dem eorum , quos supra pro-
posui , id est , omnium Catho-
licæ

licæ fidei cultorum, tam masculorum, quàm fœminarum, & omnium circumstantium, scilicet qui corporaliter adfunt sanctorum cooperatores mysteriorum, neque enim tanta sufficio sacramenta conficere, nisi collectæ multitudinis adjutus oratione, quam prius etiam sum hortatus ad orationes, dicendo: *Orate fratres.* Et sicut prima periodus à toto descendit ad partes, ita secunda hæc ab universali procedit ad particulare. Omnes verò circumstantes particulariter sequuntur. Et ne præsentibus intersint aliqui fidei prævaricatores, & vitiosæ vitæ subjungitur. *Quorum tibi fides cognita est*, id est qui probatæ fidei sunt, & devotionis apud te. Cognoscere etenim

B

Dei , approbare est. Aliter (Memento Domine famulorum famularumque tuarum) & quia consequens in quibusdam codicibus invenitur N. littera , aliquorum fieri memoriam nominatim significat. Unde quidam usu tenent hoc in loco memorandi quos chariores habent , consequenter subjungentes , *& omnium circumstantium* , ut facta memoria charorum absentium fiat & astantium. *Et omnium circumstantium*. Cùm primitùs Missæ sine collecta non fierent , postea mos inolevit Ecclesiæ , solitarias & maximè in cœnobiis fieri Missas. Et cùm non habeant quem pluraliter collecta salutent , nec plurales mutare possunt salutationes , conver-

tunt se ad Ecclesiam, dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Ecclesia confici sancta mysteria per gratiam Dei, nec esse quenquam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps sacramentorum, dum in corpore Ecclesie adhæret capiti velut utile membrum. Secundum quem sensum, in hoc loco circumstantes accipiuntur omnes ubique fideles, qui in unitate totius corporis, & sibi adhærent invicem & summo capiti, ut quidquid boni fiet in toto corpore, ab eo nullomodo sit alienus, quisquis ab ipso corpore non est divisus, sed omne bonum cui-libet membro in salubrem suc-

cum ministretur, ut totum corpus vegetetur à spiritu Dei. Et hoc modo repetitur oratio, quæ prius facta est pro omnibus Catholicæ fidei cultoribus à solitariis dicentibus, frequenter iterandas orationes, ut saltem importunitate vincatur Deus. *Quorum tibi fides cognita est*, id est, Ideò Domine memento omnium circumstantium, omnium scilicet fidelium, quia eorum tibi fides cognita est, & nota devotio. Sic solitarii hunc locum intelligunt, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Non solùm sacerdos & Clerus (qui secundum diversos gradus divinis occupantur officiis) offerunt : sed etiam audientes qui votis, & orationibus assistunt cooperantes & osculo

pacis communicant, tanquam confirmantes quod actum est. *Hoc sacrificium laudis.* Verè laudis est divinæ hoc sacrificium, sicut in hoc officio testati sumus, dignum & justum est, æquum & salutare, Deo Patri gratias agere, & cum laudibus Angelicis, precati sumus nostras voces admitti. *Pro se suisque omnibus.* Pro nobis offerimus, quando sacrificio poscimus Deum habere, & tutorem contra pericula corporis & animæ, & propitium ad obtinendos successus bonos in utraque parte. Pro nostris omnibus, quando oramus pro amicis nostris & rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando sunt in bello, pro tranquillo reditu, si sint in itinere,

pro sanitate si in infirmitate decumbunt , pro conversione si perversè vivunt , & contrà amicorum incommoditates , ut adjuvante Deo evadant. Pro rebus nostris frequentes in libris Missalibus invenimus postulationes. Oramus enim tempore sacrificii contra incendia , pro locis nostris ; contra nimiam aëris siccitatem , vel tempestatem , pro fructibus nostris ; contra pestem , pro animalibus nostris , contra alia damna pro rebus aliis. Habemus enim secundum Apostolum , in Christo consolationem præsentis vitæ & futuræ. *Pro redemptione animarum suarum,* Hoc enim solum sacrificium, quo redimi potuimus , cujus bonum sufficit contra nostrum

malum , quod magis est bonum , quam peccatum nostrum sit malum , & ideo majori pretio redimet nos à nostro malo. *Pro spe salutis , & incolumitatis sue.* Hoc sacrosanctum sacrificium non solum liberat nos à malis , sed etiam accumulat nos bonis , non solum nos eripit à pœnis , sed etiam auget gaudia salutis & incolumitatis. Salutis (inquam) æternæ animarum , incolumitatis , id est incorruptionis perpetuæ corporum : & hoc est pro quo offerimus tam pretiosum munus. *Tibique reddunt vota sua,* Offerendo sacrificium laudis , reddunt tibi vota sua. Aliter forsitan vota sua non redderent, nisi tale sacrificium offerrent, adjuvantur sacrificii virtute , ut

vota queant reddere. Difficile est comprimere vitia, virtutes in habitum trahere, sed & ut vota queant reddere sancti, à Deo necesse habent roborari. *Æterno Deo vivo & vero*, ad differentiam falforum Deorum, & insensibilium quibus gentes frustra solvebant. *Communicantes* tibi offerunt sacrificium laudis, tibi que reddunt vota sua, communicantes. Extra communionem namque non est locus offerendi Deo veri sacrificii, vel vota solvendi. Communicantes, id est societate juncti, vel ut ait Apostolus, societatem spiritus habentes. *Et memoriam venerantes*. Aliter Deo gratum non offerimus sacrificium, aliter Deo utiliter vota non solvimus, nisi memo-

riam sanctorum veneremur. Qui enim membra Christi non honorat, nec Christum qui caput est honorare potest. Et qui non honorat filium, non honorat eum qui misit illum. Qui cum membris Christi non adunatus est, nec cum Christo qui caput est adunari potest, qui verò cum Christo unitatem non habet dignus non est qui sacrificium aeterno Patri offerat, cui nulla oblatio accepta est nisi quam Christi filii sui merita commendant. Honoremus ergo caput in membris, Deum in sanctis suis, ut eorum meritis, precibusque in omnibus protectionis divinæ muniamur auxilio. *Inprimis gloriose, &c. Usque muniamur auxilio per eundem*

Christum Dominum nostrum.

In veneratione sanctorum hæc ratio custodienda est, ut primùm & super omnes, beata Dei genitrix honoretur, secundò Apostoli, tertio sancti Martyres, inde alij Sancti omnes. *Hanc igitur oblationem*

Quia hoc sacrificium tibi offerimus in corpore Ecclesiæ communicando, & memoriam sanctorum venerando. Igitur hanc oblationem precamur, ut placatus accipias, ut scilicet si peccatis nostris præpedimur communionem saltem sanctæ Ecclesiæ, & sanctorum tuorum veneratione placeris, ad accipiendum quod tibi offerimus sacrificium, *Servi tui*, id est Clerici qui tibi secundum acceptos gradus in hac oblatione

sacrificii servimus, *Sed & cunctæ familie tuæ*, id est totius assistentis Collectæ. Solitarii sic intelligunt servitutis nostræ, id est, me cum meo ministerio, *Sed & cunctæ familie tuæ*, id est, cunctæ Ecclesiæ. *Quæsumus Domine, &c. electorum grege numerari per Christum Dominum nostrum. Diesque nostros in tua pace disponas* Signanter tua posuit. Est enim pax mundi, est, & pax Dei, Pax mundi inutilis, pax Dei salubris. Pacem constituit mundus ut libere liceat uti voluptatibus. Pacem dat sanctis Deus, ut mandatis intenti divinis, securè studeant virrutibus.



TEXTUS CANONIS
Distinctio tertia.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quasumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas: & elevatis oculis in calum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens. Accipite & manducate ex hoc omnes HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Simili modo posteaquàm

posteaquàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis dicens. ACCIPITE, & BIBITE EX EO OMNES. HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis. Vnde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, Christi Filii tui Domini nostri, tam beate passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriose Ascensionis, offerimus præclara majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam

puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vite æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es, munera pueri tui justî Abel, & sacrificium Patriarchæ nostrî Abrabæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angelî tui, in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ: ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur. Per

eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Expositio Domini Odonis.

IN superioribus periodis, prima scilicet & secunda oravimus pro Ecclesia, pro fidei cultoribus, pro astante collecta. Hæc tertia periodus quam ingredimur, maximè occupatur circa sacrificium, ut fiat perfectum, & in aliam mutetur substantiam immortalem & incorruptam. *Quam oblationem, &c. Usque. Acceptabilem facere digneris. In omnibus benedictam, Benedictam gloria, ut gloriosa fiat; benedictam immortalitate, ut fiat immortalis, benedictam incorruptione, ut incorrupta fiat, benedictam divi-*

nitate, ut Deus fiat. Transit ad partes à toto, ut universalis benedictionis partes imprecetur hostiæ, cui universam benedictionem fuerat imprecatus, ut cùm priùs posuerit in omnibus benedictam, particulariter subjungat ascriptam, & ratam, & rationabilem, & acceptabilem, quæ sunt partes omnimodæ benedictionis. *Ascriptam.* Scimus quia in Trinitate quæ Deus est, Filius sit splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus. Qui ergo figura & imago est Patris, Patrem imaginatur & effigurat, quasi sculptura quædam ejus: vel scriptura, in qua pater splendet, id est, benè apparet: ut rectè filius dicatur splendor ejus. Est ergo Pater insculptus,

atque inscriptus filio, cuius figura filius est & imago, ut filius sit ejus scriptum, quem sibi habet inscriptum. Aliter filius dicitur scriptum qui habet formam omnium rerum. Sic enim omnia creata sunt, ut divini verbi formæ digesserunt, nec aliter in essentiam prodierunt quam in verbo summo formæ dictaverunt. Non sunt ibi aliud formæ, aliud ipsum verbum, ubi nihil est aliud & aliud, sed omnia sunt idipsum, ut quamvis formarum diversitas intelligibiliter ibi subluceat, non sunt tamen omnia nisi unum & idipsum verbum. Et quamvis ibi est vera & perfecta unitas, ibi tamen secundum creatas res quædam apparet diversitas: sicut cum semel locutus est Deus

in Psalmo , Propheta duo intelligit in uno verbo : unde scriptum est. Quod factum est in ipso vita erat. Factum est nihilo , erat tamen in verbo. Factum est realiter , erat æternaliter. Erat in summa arte , factum est in re. Vivebat in ratione artificis formaliter , factum est in realitate subsistendi substantialiter.

De nihilo prodiit , ut substantialiter esset quod factum est. In verbo vivebat , ut formaliter esset, antequàm substantialiter esset. Factum est multiplex , verbum est simplex. In verbo simplex erat , quod multipliciter factum est. Mirabiliter videtur in uno pluralitas , in simplici multiplicitas : videtur & non comprehenditur.

Potest videri, nequit explicari, quomodo unum verbum inscriptum sit omnibus formis omnium rerum, sicut alibi scriptum est: Calamus scribæ velociter scribentis. Pater est scriba qui verbo suo velociter inscribit omnia. Velociter scribit, quia alterum non moratur pro altero. Velociter scribit, quia sine mora scribit omnia. Est ergo Filius Dei, verbum scriptum, Sed & corpus assumptum, rectè dicitur scriptum sicut enim vox transitoria scribitur, ut quæ per se fugit scripto permaneat, sic corruptibile aliquid scribitur, cum incorruptum transit, ut quod corruptionis transitorium, erât, scripto incorruptionis permaneat. Sic ergo corpus Christi quoddam scriptum est, quod

de passibili carne impassibile factum est in Resurrectione, & de Pane terreno quotidie fit celestis super altare. Sic ergo in Christo & verbum dicitur scriptum & corpus etiam nihilominus dicitur scriptum. Quid autem est ascriptum, nisi scripto appositum scriptum? Est ergo corpus Christi non solum scriptum, sed etiam ascriptum, id est scripto appositum scriptum, id est verbo corpus adjunctum. Quando igitur oramus hostiam fieri ascriptam quid aliud optamus, nisi ut quæ adhuc est panis corruptibilis, fiat substantia incorrupta, id est de voce fiat scriptum: scripto, id est verbo adjunctum: fac ergo Domine nostram oblationem ascriptam, id est scriptum

scripto adjunctum , ut pretiosum Christi corpus fiat , verbo Dei adunata , & in unitate personæ conjuncta. Vel *ascriptam* exponi potuit brevius & facilius , Deo consecratam & mancipatam , quæ enim ex creatis rebus Deo offeruntur , jam non sunt amplius prophana , sed Deo sancta & ascripta , Deique fiunt per consecrationem. *Ratam* Ratum dicimus , quod certum & fixum habemus. Fiat ergo rata , id est non remaneat instabilis , & mutanda corruptione , sed permanens , & fixa fiat incorruptione , & ideò certa. *Rationabilem*. Sanguis taurorum aut vitulorum non sufficit expurgare nos à peccatis. Minor est enim ad hominem. Pro homine ergo rationali , ra-

tionalis hostia sufficit sola. Fiat ergo nostra hostia rationalis, si quidem homo assumptus à verbo, ex anima rationali & humana carne subsistit. Fiat hostia nostra rationalis, ut hominem verum pro hominibus offeramus, & in hostia rationali Deus propitiatur hominibus. Fiat rationalis, ut offeramus rationabiliter: nam qui offert emundari non studens, offert irrationabiliter. Qui offert habens cor impœnitens, irrationabiliter offert: sicut Cain, rectè quidem offerens, sed non rectè dividens, rectè quidem obtulit Deo, sed non rectè divisit, quia emundari non studuit. Undè scriptum est, ad Cain & ad munera ejus non respexit. Nam quem Deus non novit, nec

oblationem ejus recipit. Pessimam namque hostia irrationabilis est, sicut scriptum est. Qui non audit legem, oratio ejus erit execrabilis. Fiat ergo rationabilis hostia, id est, pro rationabili & recta, vel honesta causa. Si quis enim offerat, ut quæ furto ablata sunt reinvenire, seu hostem occidere, vel rapinam perpetrare, seu nummos ac gratiam acquirere valeat, irrationabilis tunc dicitur offerendi causa, ideò nec acceptabilis est talis hostia. Hostia ergo nostra, & merito, offerentium & offerendi causa, fiat etiam rationabilis, ut consequenter fiat acceptabilis. *Acceptabilem.* Non potest non esse acceptabilis, quæ superiores tres species recipit omnimodæ benedictionis. Non potest Deum

odisse Deus. Sed quia charitas est Deus, diligit Deum Deus, & acceptabilis est Deo hostia quæ Deus est. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quæ non potest displicere. Nam quæ acceptabilis est per se, displicet profferente. Pro offerente respicitur, quæ quantum sua refert, acceptatur. Acceptatur pro sanctis, non acceptatur eadem ipsa pro impiis. Pios adjuvat, impios damnat. Piis prodest ad salutem, nocet impiis ad damnationem. *Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Iesu Christi.* Posuerat ergo in omnibus benedictam, subjunxit quatuor species, Ascriptam, Ratam, Rationabilem, Acceptabilem. Sed hæc omnia clausa erant, minus intelligebantur,

telligebantur, minus patebant; apparuit ostium, patefecit totum, scilicet ut nobis fiat corpus & sanguis Christi. Hic totum completur, hic totum perficitur, ut fiat corpus, & sanguis Christi tantum. Solum Christi corpus, & sanguis, est hostia in omnibus benedicta, ascripta, rata, rationabilisque. *Vt nobis corpus, & sanguis fiat.* Signanter posuit, nobis, id est catholicæ fidei cultoribus. Nobis excludit Paganos, excludit Judæos, excludit Hæreticos. Nobis communicantibus, memoriam sanctorum venerantibus. Non est enim locus offerendi veri sacrificii extra Catholicam Ecclesiam. *Qui pridie quam pateretur, accepit panem.* Adhuc panem, nondum carnem.

Et elevatis oculis in cælum, ad te Deum patrem omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit. Benedixit, suum corpus fecit. Qui prius erat panis, benedictione factus est caro, modo caro, non jam panis. Ac fregit. O miraculum, frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos, erat integer, & dividebatur in partes, in manibus tenebat seipsum, de manibus discipulis se porrigebat edendum. Hoc signabat David, qui secundùm aliam translationem coram Achis Rege, se in suis manibus ferebat. Sic nos quotidie Christum in altari consumimus, & permanet: manducamus & vivit: atterimus dentibus, & integer est. Et miro modo consumitur permanens,

atteritur incorruptus , distribuitur indivisus , sicut post resurrectionem palpandum præbuit spirituale corpus. Cum simili contrarietate , non sit palpabile quod spirituale est , nec sit spirituale , quod sit palpabile. In specie enim , & sapore panis , & vini manducamus & bibimus ipsam substantiam corporis & sanguinis sub iisdem qualitatibus , mutata substantia : ut sub figura & sapore substantiæ prioris , facta sit vera substantia Christi corporis & sanguinis. *Dedit discipulis , &c. Ecce corpus meum.* Patet quod panis accepta benedictione factus sit corpus Christi. Non enim post benedictionem dixisset , Hoc est corpus meum , nisi in benedictione fieret corpus suum. *Si-*

mili modo posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem. Si Christus accepit calicem cœnæ, dicitur hunc accepisse. Unus ergo calix est hic & ille. Nisi enim unus sit, dici non potest in illo hunc accepisse. Est ergo unus etiam quando in altari manibus accipitur, ut benedicatur, & necdum sanguis est, sed adhuc vinum, propter unitatem fidei, & illius cui, & in cujus honorem fideliter offertur. Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, ut modo fiat, quod tunc futurus erat. Et quia hæc fides una est in tota Ecclesia, & ille unus cui tunc & modo offertur; ideò & calix cum accipitur, etiam ante divina verba est unus, sicut & omnium Ecclesiarum altare dicitur u.

num, quia in eo secundum unam fidem, unum Dominici corporis offertur quotidie sacrificium. *Præclarum.* Præclarum dicit calicem adhuc vini, usque dum statim fiet præclarus, quando sanguis erit, sicut scriptum est. Calix meus inebrians, quàm præclarus est. Vel ad comparationem ejus, quem obtulit Melchisedech & cæterorum veteris testamenti. Vel propter præclaram illius Majestatem, cui offertur. Undè & in sequentibus dicitur offerimus præclaræ majestati tuæ. *Calicem.* Metaphoricè id quod continet, pro eo quod continetur. Id est vas pro liquore vini & aquæ. *In sanctas, &c.* Usque, *Benedixit.* Id est suum sanguinem fecit: *Dedit discipulis, &c.* Usque

sanguinis mei. Intransitivè dictum est, & est secundùm figuram casus pro casu. Calix sanguinis mei, ac si diceret, Calix, scilicet sanguis meus. Similiter hic patet quod benedictione fuerit factus sanguis. Ad benedictionem enim præmissam subdit. Hic est calix sanguinis mei. *Novi & æterni testamenti.* Novum enim Evangelii testamentum, in æternum confirmavit sanguine mortis suæ. Sic Abraham ovibus & bobus, cum Abimelech & Phicol principe militiæ percussit fœdus, id est, oves & boves percussit in fœdus. Ut sanguine animalium & morte fœdus confirmaretur. Et Jacob fugiens in Galaad, facto juramento cum avunculo suo La-

ban , immolavit victimas , ut sanguine victimarum, fœdus juramenti confirmaretur. Et Moyſes ut confirmaret testamentum, quod accepit in Synaï , victimæ sanguinem asperſit hyſſopo , in totum populum , & tabernaculum. *Mysterium fidei.* Pertinet ad fidem Catholicam credere, post benedictionem esse verum sanguinem , ut infidelis sit, qui hoc non crediderit. Item dicitur mysterium , quod sensibilibus tegitur occultum , sicut veritas sanguinis in sapore vini latet & specie. Calix ergo altaris est mysterium fidei , quia sub figura & sapore vini occultus creditur verus sanguis. Est mysterium fidei, quia quod creditur, sensibilibus quibusdam obtegitur. Nam verus sanguis cre-

ditur, quod vinum visu senti-
tur & gustu. Est fidei myste-
rium, quia quod fides credit,
intus est occultum. Intus est
verus sanguis, vera fides, ex-
terius est falsum vinum, vera
species. Sentitur vinum & non
est, non apparet sanguis & est.
Sensus decipitur qualitate, cer-
ta tenetur fides rei veritate. I-
deoque sanguis dicitur fidei my-
sterium, quia sanguinem fides
credit intus occultum. Aper-
tum est quod sentitur, occul-
tum est quod creditur. Et si
quid occultum est, fidei est, si-
cut quod patet est sensus. Est
ergo sanguis mysterium fidei,
si quidem occultus pertinet ad
fidem. *Qui pro vobis, & pro
multis effundetur, in remissio-
nem peccatorum.* Pro vobis, sci-

licet præsentibus , *Pro multis* ,
Paganos & Judæos discernit , &
falsos Christianos. *Hæc quo-*
tiescumque feceritis , in mei me-
moriam facietis. Nam sine hæc
memoria non conficimus Do-
minici corporis & sanguinis sa-
cramenta. Tolle verba Christi,
non fiunt sacramenta Christi.
Vis fieri Christi corpus & san-
guinem ? appone Christi ser-
monem. Facit sermo veritatis ,
quod dicit , quia ipse dixit , &
facta sunt , ipse mandavit & crea-
ta sunt. Sine dubio fit in crea-
tura , quod Christi sermo dicit
de creatura. Est enim omnipo-
tens sermo tuus , ô Genitor. Fit
ergo sermone Christi , corpus
& sanguis Christi quæ quoties
verbo potenti sumimus , mor-
tem Domini donec veniat me-

moramus , & ne sub his mysteriis hæc memoria refugiat à nobis, subjungit. *Vnde & memores Domine nos servi tui*, idest qui secundùm cleri gradus acceptos officio hujus sacrificii defervimus ; vel (secundùm solitarios) hic in præsentem ministramus. *Sed & plebs tua sancta*, quæ pro veneratione hujus sacrificii, hic est in præsentem devotè collecta : vel secundùm solitarios in unitate Ecclesiæ fideliter ubique viventium. *Ejusdem Christi filii, &c.* Usque *Donis ac datis*. Donum est addendum , etiam si non detur , paratum. Donum est quod dari potest. Datum verò quod in alterius potestatem est jam translatum, quod de possibilitate jam prodiit ad actum,

quod jam possidetur. Corpus ergo & sanguis Christi sunt dona à Deo nobis parata. Dona sunt quæ utiliter dari possunt. Dona sunt vera, sed in cœlo collocata in Christo: Data vero, quando fiunt nobis de creatura panis & vini. Data quando sumimus in altari, quando reficimur inde sensualiter. Dona in cœlo, data in terra. Dona apud Deum in Christo, data super altare in sacramento. Dona in cœlo nuda, & aperta data in altari tecta sensibilibus & occulta: tamen hic & ibi eadem vera. *Hostiam puram.* Antea veteris legis hostiæ de irrationabilibus animalibus carnales erant, squaloribus spurcitiæ carnalibus, nidoribusque plenæ, & dentium contritione

in fæces & stercora redactæ.
Hæc autem hostia pura est,
quia quamvis caro vera sit, &
sanguis, tamen spiritalis est &
incorrupta, dividitur, & consu-
mi non potest. Consumitur &
incorrupta manet. Teritur &
est illæsa. Frangitur, & inte-
gra est: Hæc hostia caro est,
& non carnalis, sed inconta-
minata lux, & ideò pura. Cor-
pus est, & non corporalis, sed
spirituale lumen, & ideò pu-
ra. Pura mundans, pura purifi-
cans, pura quia divina, purior
luce corporea. *Hostiam sanctam.*
Hostiæ veteres erant quidem
sanctæ, sed non per se sanctæ:
sed quia typum gerebant hu-
jus hostiæ sacratæ. Illæ imper-
fectæ erant, & ideò minus san-
ctæ: ista perfecta, & ideò ple-
nè

nè sancta : Illæ dimittebant peccata unius : ista tollit peccata totius mundi. In illis tantum remissio : in hac autem est pretium plenum & perfecta redemptio. Illæ impetrabant veniam debiti sine solutione. Hæc reddit debitum plena recompensatione. Ideò hæc plenè & perfectè sancta , illæ sanctæ , sed minus & imperfectè. *Hostiam immaculatam*. Id est , sine omni macula culpæ , ut pote concepta & nata sine peccato , & deinde sine culpa vixit in mundo , ideò immaculata. Nata quidem est de humana carne , sed sine conditione propagationis humanæ , ideò immaculata. Est sine viro de sancta Virgine concepta , ideò immaculata. Est concepta sine hu-

mano opere, sola virtute divina, ideò immaculata. Non enim potest initium habere culpabile opus, quod solus Deus fecit, & non alius, ideò immaculata. Hominis enim initium, qui sine humana administratione, solo Deo authore creatus est (quamvis de massa peccatrice) non possumus culpate, nisi Deo peccatum velimus ascribere, ideò immaculata. Tamen de purâ ab omni peccato virgine creditur conceptus & natus: ideò immaculata. Ex quo enim angelicam salutationem audivit: Gratia plena, creditur purificata fide, etiam reliquum vitæ, custode Spiritu sancto vixisse sine omni culpa: Ab immaculata ergo sumpta est hæc hostia, ideò & ipsa imma-

culata. Et hoc loco admone-
mur, quod panis appositus al-
tari debet esse candidissimus,
& in quo nulla possit inspicere
macula: ut hoc appareat in fi-
gura, quod prædicatur de sub-
stantia, ut pura & immacula-
ta videatur exterius figura, cu-
jus substantia dicitur interior
pura, & immaculata. *Panem
vitæ æternæ.* Cùm panem au-
dis, ne putes esse qui fuerat
ante benedictionem, ne deci-
piaris mutata substantia. Prius
erat panis, modo non est pa-
nis, sed sola caro. Sed panem
dixit, quasi diceret cibum, sicut
scriptum est: Ego sum panis
vividus. Et panem Angelorum
manducavit homo. Quomodo
est panis vitæ æternæ, qui sumi-
tur à multis ad damnationem?

Hujus panis virtus fides est, quæ per dilectionem operatur. Est enim & panis mysterium fidei, sicut de calice dictum est. Sumptus ergo sine fide non proficit. Nam si hic panis est mysterium fidei, id est occultum quod sola cernitur fide quid prodest sine fide sumi quod sine fide non cernitur, quid prodest divitias humanæ redemptionis in te recondere, quas non vides oculo fidei perditio? Unde scriptum est. Qui manducat, & bibit corpus & sanguinem Domini indignè, judicium sibi manducat & bibit. Nam ille manducat indignè, qui manducat sine fide, quæ per dilectionem operatur. Est ergo hic panis vitæ æternæ, non iis quidem qui tantum ore sumunt, sed iis qui etiam men-

te, non qui premunt dente, sed qui tangunt fide. Unde scriptum est, noli me tangere? nondum enim ascendi ad patrem meum. Ac si diceret: vis me manibus tangere? non sic fidem tuam volo. Fide me tangere, crede ad Patrem me ascendisse, id est, me esse æqualem Patri. *Et calicem salutis perpetuæ.* Quod diximus de pane, idem potest dici de calice: & quod dictum est vitæ æternæ, & salutis perpetuæ. *Supra quæ, &c.* Usque. *Immaculatam hostiam.* Finis respicit ad principium. *Supra quæ*, scilicet sanctum sacrificium, immaculatam hostiam respicere digneris, & accepta habere, ac si diceret. *Supra quæ* respicias, & accepta habeas, idè quia sanctum

sacrificium sit, immaculata hostia; ut qui de merito nostro diffidimus, majestate tanti sacrificii adjuvemur. Cur autem oramus Patrem propitium, & serenum esse super hostiam, & eam acceptam habere, qui nihil habet acceptius, & qui semper propitius, & serenus respicit? Inde enim scriptum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Sed ad offerentes est hoc referendum, qui pro peccatis terrentur, & de se diffidunt, hostiam acceptabilem sibi prætendant, ut ejus scuto se protegentes, sub ea propitium sibi patrem serenique deposcant, & ei se acceptos desiderant, sub ea quam nunquam non acceptabilem dubitant, ut dum Patri per seipsos non audent offerre (ne ma-

gis irritent) dilectum filium proponant , ut subeant , & sub-
 ejus tutelam ante conspectum Patris introeant. Oramus ergo ut acceptabilis hæc hostia sit ,
 placeatque pro nobis , ut cum offerimus quod placet , place-
 tur nobis Deus ; unde & exem-
 pla sanctorum adhibentur, Abel
 justus, Patriarchæ Abrahamæ, summi
 sacerdotis Melchisedech : ut si-
 cut eorum sacrificia Deus acce-
 ptavit eis propitiando, ita susci-
 piat hostiam hanc, nostri mi-
 serando. Melchisedech Sacer-
 dos summus dicitur, qui inter
 sacerdotes illius temporis ha-
 bebatur. *Supplices te rogamus,*
&c. Usque. Divinæ Majestatis
tuæ. Et hic mirum est quod o-
 ramus corpus & sanguinem Do-
 mini in conspectu Dei perferri

cùm scriptum sit: quia Christus semper assistit vultui Patris, interpellans Deum pro nobis, & legimus, quia Christus ascensus in cœlum, super omnia exaltatus est, sedens ad dexteram Patris. Quomodo ergo perferri oramus Christum ubi semper est? Sed superius vultum propitium ac serenum fieri super hostiam filii rogabamus, non quod filio suo pater possit esse severus, sed ut sub occasione filii patris propitiationi nos ingeremus: ut pro amore filii misereatur nostri, & quasi filium parvi pendat, si pro eo nos non recipiat. Ita & hic rogamus patri perferri filium, qui semper est apud eum pro nobis, ut votum & levotio nostra per filium veniat,

ad Patrem , & virtute tanti sacrificii vota nostra perferantur ante conspectum Dei , quasi filius ad Patrem non ascendat , si devotio nostra illuc non perveniat. Tali ratione rogamus , ut sicut Christus ante discipulos à terra translatus est in cælum , & factus invisibilis in conspectu ipsius , postea missurus sancti Spiritus donum : ita hostia hæc , ab altari terreno , super quod immolatur , in altare sublime ante conspectum Dei , transferatur : ut inde omni benedictione cælesti & gratiâ repleamur : ut quæ visibiliter tractatur in terra , invisibiliter operetur in cælo. Hic oblata , ibi accepta : non mutatione loci , vel temporis accessu , ut cœptus ab hoc loco translatio-

nis motus, ad alium postea perficiatur locum. Sed sub eodem loco qui prius erat, fit verbi caro. Non transfertur loco, ut de pane fiat caro, transfertur tamen ab altari ad cælum, quia transfertur de pane ad Deum. Sed quia Deus est ubique, non fit loci mutatione, ut conjungatur Deo de pane facta caro. Transfertur intus ad Deum invisibiliter, nec movetur exterius ab altari visibiliter: oblata in altari devotione hominis, accepta in cælo propitiatione Dei. Tunc enim à Deo quasi acceptatur, quando Deus nobis propitiatur, & cælestis benedictio nobis ab eo mittitur. Sed Christus juvamine non eguit Angelorum, quando sua virtute

ascendit in cælum. Quid ergo rogamus hanc hostiam perferri per manus Angeli ante conspectum Dei, cum Angelorum officia necessaria non sint huic perlationi? sed hoc est, quod dictum est, quia perlatione corpòris & sanguinis Christi rogamus vota nostra perferri. Sunt tamen nobis Angeli deputati qui offerunt quotidie Deo vota nostra. Unde scriptum est: quia Angeli eorum semper vident faciem Patris. Oramus itaque sub occasione Christi, perferri vota nostra, per manus angeli, & vota bona perferant boni Angeli, sub prætextu tanti sacrificii. *Supplices te rogamus omnipotens Deus.* Supplicamus tibi, curvamus ante te, obnixius de-

precamur : ostende omnipotentiam , extende manum validam : ut quæ propitio ac sereno vultu respicis , etiam ad invisibilia & sublimia tua perferantur , & conspectui majestatis admittas. Hic necessitas incurvationis. Hic opus supplicationis , hic incumbit consummatio totius nostri laboris , ut hæc hostia perferatur in sublimi altare tuum , in conspectu divinæ majestatis tuæ. Quid est hoc ? Quid est perferri hostiam in sublime altare , nisi ovem humeris pastoris imponi. Et quid est ovis humeris pastoris imposita , nisi homo assumptus à verbo ? Et quid est sublimius verbo Dei ? Quotidie assumunt sibi fideles verbum Dei , participatione hujus sacrificii. Verbum

bum ergo Dei sublimis altare est, ad quod oramus hostiam perferri in conspectu Dei, & per eam nos introduci. Conspectus Dei est verbum patris, in quo conspicit omne quod fecit. Nam omne quod agit Pater, in verbo eius est. Nam quod factum est in ipso vita erat. Et: In principio creavit Deus cœlum & terram, id est, in verbo, & verbo Domini cœli firmati sunt. Et: omnia in sapientia fecisti. Quid rectius dicitur conspectus Dei, quam sapientia sua, in qua conspicit omne quod agit? Hostiam ergo perferri in sublime altare, in conspectu Dei, quid est, nisi oblationem nostram conjungi verbo, uniri verbo, fieri Deum, & per eam nos in Deum aslu-

mi, & vota nostra acceptari.
*Vt quot quot ex hac, &c. Usque
& gratia repleamur. Per eun-
dem Christam Dominum nostrum.
Amen.* Habet Ecclesia altare vi-
sibile in terra, est & altare in-
visibile in cœlo apud Deum.
Hostiam quam in hoc altari
Deo offerimus, Deo conjungi-
tur & fit Deus. In hoc sacri-
ficio conjunguntur terrena cœ-
lestibus, creatura Deo. Cum de
hoc altari sumimus creaturam,
accipimus de sublimi Deum.
Cum hic corpus & sanguinem
Christi sumimus, de cœlo
Deum accipimus, in quo om-
ni benedictione cœlesti & gra-
tia replemur. Sumimus hic vi-
sibiliter corpus & sanguinem
Christi: sumimus invisibiliter de
cœlo, quo perlata sunt bene-

ditionem & gratiam Dei. Sumimus (inquam) gratiam & benedictionem, si quidem dignè sumimus Christi corpus & sanguinem. Nam qui indignè sumit, ore quidem sumit, & dente terit corporaliter, sed nihil proficit spiritualiter. Imò qui corpus & sanguinem Christi sumit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Ideoque rogamus, ut quot quot ex hac altaris participatione, sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem, sumpserimus, indè quo perlata sunt, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.



TEXTUS CANONIS

Distinctio quarta:

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum qui nos precesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam, & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Ignatio, Alexandro,

Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia, Anastasia & omnibus sanctis tuis. Intra quorum nos consortium, non estimator meriti, sed venie, quesumus, largitor admitte, per Christum Dominum nostrum. Per quem hac omnia Domine bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & prestas nobis. Per ipsum, & cum ipso & in ipso, est tibi Deo patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen. Oremus, Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere. Pater noster qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo &

in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen. Libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis, præteritis, presentibus & futuris: & intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, cum omnibus sanctis da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordie tue adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat. Deus in unitate Spiritus sancti, Per om-

nia secula seculorum. Amen

Expositio Domini Odonis.

H A C tertia Periodo , quæ in confectione corporis & sanguinis Christi sudavit , huc usque finita , sumit hinc exordium quarta. Quæ confecto corpore , & sanguine Christi , redit ad rogandum pro mortuis , fidentior exaudiri patrocinio sacrificii. *Memento etiam Domine.* Hic solet fieri memoria amicorum & familiarium defunctorum. *Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus.* Ipsis , id est , quorum memoriam fecimus , & postea reliquis omnibus indulge. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis.* Scilicet qui officium hujus sacrificii celebra-

mus presentes : vel secundum Solitarios, qui in corpore Ecclesiæ per totum orbem terrarum fideliter tibi servimus. Totum vero textum qui sequitur, nescio verbis aliis facere plenior, usque. *per quem hæc omnia Domine semper bona creas.* Per quem, dictum est relativè ad hoc quod dixerat, per Christum Dominum nostrum. Sed mirum est quod dixit pluraliter hæc omnia bona, cum corpus & sanguis Christi non sit nisi unum. Sed in uno Christi corpore, sunt multæ formæ, & cum una sit substantia, ita ut in uno corpore visibiliter appareat pluralitas, ubi est invisibiliter substantiæ unitas : & unum sit individuum in substantia, ubi multiplex est figura.

Apponuntur panes figura plures, & substantia fiunt unum corpus Christi: manet pluralitas figuratum, cessat pluralitas substantiarum. Est unum individuum, apparent plura. Proindè modo sicut est, modo sicut apparet, de corpore Domini loquimur; sæpe dicimus, in distributione domnici corporis hostias multas expendimus, vel pluribus hostiis multos uno corpore Christi refecimus, in uno versiculo monstrantes, & eorum quæ apparent pluralitatem, & ipsius substantiæ invisibilis unitatem cum & hostias plures, & unum dicimus corpus. Sic & in hoc loco dicimus: *Hæc omnia bona*, omnes scilicet hostias, quas in orbe toto immolat Ecclesia.

Quæ quidem si sensibiles intue-
 ris qualitates, infinite sunt nu-
 mero : si substantiam, sanguis est
 unus, & una caro, quæ semper
 à Deo creantur, quia qui se-
 mel verbi sui corpus creavit de
 Virgine, quotidie de pane creat
 ejus carnem, & de vino san-
 guinem: *Sanctificas* Quotidie
 sanctificat oratione sacerdotis,
 & cooperatione Spiritus sancti.
Vivificas. Quotidie vivificat,
 corpori prius inanimato dans vi-
 tam. Unde & prius dicebatur ra-
 tionabilis hæc hostia. *Benedicis:*
 Quotidie benedicit, quomodo
 superius eam precabamur in
 omnibus fieri benedictam, &
 quatuor species subjunximus
 benedictionis. *Et prestas nobis.*
 Quotidie præstat nobis corpus
 filii sui, quia quod est apud pa-

trem in sublimi, quotidie præstat nobis in altari. Et quod apud eum donum est in cælo, apud homines datum est interna. *Per ipsum & cum ipso.* Per quem pater de pane carnem creat, sanctificat, viuificat, benedicit & præstat: per eundem ipsum filium, est Deo patri, cum spiritu sancto, omnis honor & gloria. Est honor & gloria patri per filium, sicut scriptum est: Pater manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Et: Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Habet enim honorem & gloriam pater cum filio, cum quo communem habet potentiam & divinitatem. Nam cum quo habet omnia, cum ipso habet etiam honorem

& gloriam. Habet etiam cum ipso honorem & gloriam pater, in quo est. Nam scriptum est; Pater in me est, & ego in Patre. Quia Pater est in me, ideò quidquid habet, habet in filio. Non enim habere potest, nisi in ipso in quo est. *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Cohortatur orare, subdens causam, quia sumus inde salutari præcepto moniti. Lege Evangelium, & invenies præceptum. Cur hanc solam orationem præcedit adhortatio, cum plures in hoc Canone faciamus: & ad nullam hortati sumus? Quia illæ sunt inferiores, & humana ratione compositæ. Hæc perfecta & à solo Deo formata. undè & sequitur. *Et divina institutione formati.* Sicut narrat Evangelium

Evangelium, Dominum rogabant Apostoli : Doce nos orare : & Dominus informavit eos hujus orationis institutione. *Audemus dicere.* Audacia videtur & præsumptio, homines infirmos divina proponere, nisi essemus formati divina institutione. Audemus obedientiâ non audacia. Audentes audacia rei sunt : audentes obedientia laudandi. Ausus obedientiæ bonus : audacia superbiæ mala. Et sicut orandi causa subjuncta est, quia præceptum est, ita audendi causa præcessit, quia indè sumus divina institutione formati. Oremus ergo, quia indè sumus præceptis salutaribus moniti & audemus dicere, quia sumus indè divina institutione formati. Nam ideò oramus,


quia indè præceptum accepimus: & ideò audemus, quia nos pavidos ad hoc Deus animavit. Dedit præceptum orandi ad salutem dedit fiduciam audendi propter timorem. *Pater noster qui est in calis.* Dominicam orationem non expono, quia multos Patres exposuisse reperio. Nec oportet hic ponere, quod in multis locis promptum est invenire. *Libera nos quaesumus Domine.* Facta confirmatione dominicæ orationis, dicendo, *Amen*, Totus textus qui sequitur pro venia peccatorum orat, & pro pace, suo principio sumpto de fine Dominicæ orationis, qui orat contra peccata, dicendo: *sed libera nos à malo.* Deindè sequens textus incipit pro peccatis, di-

cendo : Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis. Deinde sequitur pro pace. Da propitius pacem in diebus nostris : Iterum pro peccatis: Ut à peccato simus semper liberi : Deinde pro pace, Et ab omni perturbatione securi. Iterum pro pace sequitur. Pax Domini sit semper vobiscum. Deinde pro peccatis iteratur, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Iterum pro pace *Dona nobis pacem.* Et sic finis & consummatio sacrificii fit de pace, ut maneamus in pace. Undè in consummatione sacrificii osculum sumimus, quo in sacrificio assensum & participationem ostendimus, & quod debemus in pace manere signamus.

CONCLUSIO.

SANCTISSIMI Canonis textu studiosissimè inquisito, obsecro te quicumque transcribis, ut distinctiones diligenter observans, singulorum capitulorum principia grandiusculis litteris pernotes & periodos (in quibus totum quaternarius concludit opusculum) capitalibus litteris illumines, appositis titulis, quibus & periodorum diversitas, prima fronte præclare effulgeat, & singulorum capitulorum principia primo visa se offerant, & immutata cola, & commata confusis distinctionibus sententias non conturbent.

FINIS.



BREVIS DE LITURGIA

APPENDIX

Per interrogationes & responsa.

Quæ ratio horarum canonicarum?

RESPONDEO esse multiplitem. Primò ut sacris initiati, & beneficiis instituti ecclesiasticis hoc pacto assuescant divinis litteris (quibus hæ preces coalescunt) quas scilicet imbibere statim ac diligenter debent, ut eas ad unguem teneant.

Secundò, ut liberali dediti otio, & negotiis expediti secularibus (ut Clericos decet)

tempus hujuscemodi occupatione melius consumant.

Tertiò, ut opus faciant ministerio suo conveniens, imò necessarium.

Quartò, ut honorent Deum pro beneficio creationis & redemptionis, in cujus idcirco memoriam horæ canonicæ recitantur.

Sacerdotes enim constituuntur in iis quæ sunt ad Deum, inquit Apostolus. Apud quem laudes & grates debitas pro se & pro universa plebe debent persolvere precantes atque deprecantes cum singulari mentis attentione, cordisque devotione, modo & verborum adfit intelligentia.

Indignissimi porrò ordine & beneficiis Ecclesiasticis censen-

di sunt, ii, qui horarias preces negligunt desidiâ. Nec insuper diligentem operam navant in scientiis & disciplinis excolendis suo ministerio congruentibus, sed agunt quæ non conveniunt. Verùm enim verò Sacerdotum officium (inquit Hieronimus) est scire legem Dei, & respondere ad ea quæ fuerint interrogati: qui verò scientiam & disciplinam repulerint, Autore Spiritu sancto, à sacerdotio repellendi sunt.

Osee 4. cap.

Missæ quid?

EST consecratio corporis & sanguinis Christi, quæ sacerdos offert, Deo Patri, & sumit in memoriam vitæ & pas-

sionis ipsius, pro vivis atque defunctis : In publico Christianorum cœtu ; ubi aguntur gratiæ, ob pretium redemptionis, ubi hymnizatur, oratur, docetur, & participatur denique ab iis, qui seipfos accuratè probarunt, ne indignè edant ac bibant.

Porro unicum istud legis nostræ evangelicæ sacrificium omnes in se habet conditiones (licet modo excellentiori) diversorum legis antiquæ sacrificiorum : Est enim pud summum Adonai latreuticum & eucharisticum, propitiatorium atque impetratorium, salutare cunctis Ecclesiæ membris sive in hoc, sive in altero sæculo sunt.

Beati Augustini Catholici Episcopi atque Doctoris exi-

mii verba ipsa luce lucidiora de sacrificio Eucharistiæ libens appendam. Quid credibilius, inquit lib. de civ. Dei 17. cap, 20. dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam & sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod vocem etiam illam ejusdem Mediatoris per Prophetam loquentis agnosci- mus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi; quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & partici-

pantibus ministratur. Hæc ille.

Missæ igitur verè est passionis Christi contemplatio & representatio, nam ab Introitu ad canonem Christi adventus, & tota ejus vita usque ad passionem exhibetur; à canone usque ad complendam passio; à complenda usque ad benedictionem sepultura & resurrectio exprimitur. Benedictio significat ipsam ascendentis Christi benedictionem.

Missæ duplicem rationem habet. Primo sacrificii quatenus mors & sacrificium Christi in ea commemoratur. Secundo sacramenti, quatenus corpus & sanguis Christi, quæ in panis & vini specie continentur, sumuntur.

Misse vocabulum quale?

Resp. Alii aiunt hebræum esse & sonare latinis sacrificium, alii deducunt a mittendi verbo, quia populi conventus qui ad officium divinum tenetur, celebrato sacrificio dimittitur.

Introitus?

Resp. est sacra cantio introeunte ad ædem populo ex Psalmis aut aliis scripturis canis solita.

Significat introitum & adventum Christi in mundum. Cantus autem, quo introitum dicimus significat voces & prænuntiationes Prophetarum, quibus prædixerunt futurum Christi adventum.

Kyrie?

EST communis omnium imploratio pro misericordia Domini. Græca verò præcatio est, ut vel hinc appareat Occidentalem cum Orientali Ecclesia iisdem operari sacris. Novies iteratur, quo fortius pulset cælum, contendit enim summa vi orationis Ecclesia, ut exoratrix fiat nedum oratrix sit.

Significat hæc iterata præcatio orationes & suspiria Patrum pro Christi salutifero futuro adventu.

Gloria in excelsis?

Resp. Est Evangelica Doxologia, quâ mœsti rursus hilarescimus

rescimus , nimirum ad recordationem Dominicæ nativitatis. Angelicis verbis hymnum totum edjectum esse , vel ab Hilario Pictaviensi , vel à Telephoro Pontifice affirmant.

Significat gaudium Angelorum de nato Christo.

Collectæ?

SUNT eæ preces Liturgiæ , quas Sacerdos statim à salutatione (Pax vobis , aut , Dominus vobiscum) nomine collectæ plebis totius religioso gestu accinit : dictæ à collecto seu congregato populo , qui pié salutatus idem sentit atque optat , quod Sacerdos orat. Ob id acclamat vehementissimo desiderio, *Amen* , hoc est , ô uti-

H

nam quod petivimus impetremus, ô fiat hoc, sit hoc certum, sit ratum. Divus Hieronimus ad Eustochium scribit: Ecclesiam Romanam ad similitudinem celestis tonitruï Amen reboare, & vacua Idolorum templa quati.

Significant orationes, laudes & vota eorum, quibus Christi adventus primo fuit revelatus: Quales fuerunt sanctissima Virgo, Zacharias, Elizabeth, Pastores, Simeon & Anna itemque Magi. Vel Collectæ indicant quod tota vita Christi continua pro nobis, & perpes oratio fuit.

Epistola?

Resp. Sunt lectiones ex scripturis apostolicis aut propheti-

eis, aut etiam historicis desumptæ: quemadmodum autem ista ad doctrinam nostram scripta sunt, ita quoque ad doctrinam nostram quotidie leguntur, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, sicut Sanctus Paulus ait:

Designat tempus illud, quo præcursor Christi Joannes viam venienti Domino sua prædicatione præparavit.

Graduale?

Resp. Peculiaris ex scriptura cantus, cum personante choro, Diaconus per gradus ad editiorem locum ascendit, undè lecturus est Evangelium Christi. Dicitur à gradiente, id est, ascendente Levita. In dies certè facere gradum de-

beremus ad Christianæ religionis cacumen, si saperemus.

Sign. Lamentum pœnitentiæ, quod Joannes excitavit, cum diceret: *pœnitentiam agite, gemmina viperarum, securis ad radicem arboris posita est.*

Alleluia quid sonat?

Alleluia canticum est lætitiæ, ea uox in Ecclesia planè usitata.

Supra precatur Ecclesia græcè, hic hebraicè læta concinit, non ipsa solum laudans Deum, verum alios etiam ad eundem laudandum exhortans. Habet autem multa neumata seu vocales nutus, quibus diducuntur hæ quatuor syllabæ, ad declarandam magnitudi-

nem divinæ laudis.

Alleluia, latinè dixeris, laudate Dominum, verbum est Davidicum, quo REX ille unicè semet oblectavit. Ecclesia nostra primùm ab Hebræis orta, quibus accessit Græcia, tandem Romanus orbis, eadem semper est, etsi variis linguis loquitur, canit, & orat.

Significat hæc vox lætitiæ interjecta, gaudium sempiternæ fœlicitatis, post luctum pœnitentiæ & peregrinationem hujus vitæ.

Tractus?

Resp. Cantio subtristis est, eo tempore quo lætus Pæan filet, sic dicta, quod longiusculè protrahatur canendo, forsan dum turba frequentior convolat ad

90 *Brevis de Liturgia*
percipiendum Evangelium Do-
mini nostri Jesu Christi.

Significat tædium , molestiam
& laborem præsentis incolatus
& vitæ.

Prosa?

Resp. Est cantici genus non
usque adeò vetustum, sed mirè
jucundum. Natum ferunt in
Galliis , ubi complures etiam
Reges rithmos tales condide-
runt. Post veteres hymnogra-
phos , Ambrosium , Hilarium,
Prudentium , Sedulum , Fortu-
natum &c. Extitit Theodul-
phus Episcopus Aurelianensis,
inter cujus odas hæc elegiaca
reperitur : Gloria , laus & ho-
nor &c. In bibliotheca quadam
vidi sequentionarium Notgero
Episcopo Leodiensi auctore.
&c.

Signif. quod in hac ærumno-
sa & peccaminosa vita etiam
interdum nos exercere debemus
in sacris canticis laudis divinæ,
donec beatitudinem, quam per
patientiam expectamus, ut ait
Apostolus, in futuro sæculo
possideamus. *Rom. 8.*

Quid Evangelium?

Resp. Ad hujus sacrae lectio-
nis præcelsam buccinam assur-
git tota collecta, significans tum
demum legi & evulgari sibi om-
nis suæ salutis summam. Evan-
gelium enim primum, medium
& ultimum est humani solatii.
In Evangelio statis (inquit A-
postolus) per quod & saluami-
ni. Rursus Evangelium poten-
tia Dei est, ad salutem omni
credenti.

Signif. Prædicationem Christi & Apostolorum. Lumen accensum Christum ipsum significat, qui de se ait, Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Quid Symbolum?

Resp. Hoc vocabulo significamus brevissima illa Christianæ religionis oracula: appellatio è militia tracta, nam Christiani milites, quorum arma non sunt carnalia, suum habent symbolum, qua seù nota inter se cognoscuntur. Profectò extra Christum Ecclesiamque sunt

quicumque non profitentur cum universitate Christianorum præscripta communis fidei.

Receptus mos est hujus quoque canendi symboli quo confitendi libertas major appareat coram omni mundo, maximè evulsa penitè atque extincta è Christiano orbe idololatria.

Signif. fidem Apostolorum, & confessionem Petri. *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Signif. etiam propagationem ipsiusmet fidei, atque Evangelii per totum orbem terrarum per ministerium Apostolorum.

Offertorium quid sonat?

Resp. Ab offerendo dictum carmen, quod plerumque ex psalmis desumitur: quando-

quidem isto horæ spatio in Thy-
 siasterio seu altari offerebantur,
 tam donaria populi, quam ip-
 sa in pane & vino mysteria.

De utroque oblationum ge-
 nere legitur apud Eugubi-
 num de consecratione dist. 2.
 cap. de Nominib. recitandis,
 &c. De altero S. Augustinus
 lib. 2. retract. cap. 11. Mos e-
 rat apud Carthaginem, ut hym-
 ni ad altare dicerentur ex Pſal-
 morum libro, sive ante obla-
 tionem, sive cum distribueretur
 populo, quod fuisset oblatum.

Signif. Quod post prædicatio-
 nem Evangelii non tantum se-
 qui debet fides in corde, sed
 etiam laus in ore, & fructus in
 opere, ut scilicet tam nos,
 quam nostra Deo offeramus,
 qui tanta nobis dat & pro-

mittit per Evangelium.

Quid Præfatio ?

Resp. Ejus, qui sacris operatur dulcisona modulatio est, quâ tota plebs ad gratias Redemptori agendas extimulatur, huic admiscentur mirabilia atque beneficia Dei Optimi Maximi toti ostensa mundo. Isto præcentu statim mysterium ipsum ingreditur.

Quia altè canitur post aliquantulum silentium, significat reditum Christi in Judæam, postquam aliquandiu latuerat propter insidias Judæorum. Tunc enim instante passione manifestè rediit in Judæam, ac primo insignem illam cœnam Bethaniæ celebravit, idcò præfatio altè cantatur.

Sanctus?

Resp. Trifagion angelicum est, ad hoc sacratissimum negotium ex Isaïa Propheta & Joanne Apostolo transsumptum. Idem ex Evangelista Matthæo. Etenim hinc arguitur utriusque testamenti in Christo harmonia. Verbum hozanna & ipsum hebraicum ex psalmis Davidis desumptum, quod si latinè reddas, vult sibi, salva quæso. Legit etiam olim quidam Vvalafridus Strabo, Osianna. Quamvis peritissimus in linguis orientalibus vir Sebastianus Munsterus repererit Judæos Chaldaïce acclamasse sine litterula Iod. Non secus habent Græci Evangelistæ. Eâ cantilenâ cœtus noster

ster præsentiam adorandæ
Trinitatis pronus excipit ,
quam penes est unam vasti cu-
stodia mundi.

Signif. Acclamationem turbæ
in die palmarum in ingressu in
Jerusalem.

Item Angelorum canentium
continuè Sanctus, Sanctus, San-
ctus , ut D. Amalarius ait.

Canon?

MAGNUS consensus est , Ho-
mines Apostolicos compegisse
precationem illam canonicam
verba sacre cœnæ complecten-
tem , & præ cæteris hujus rei
testis est Gregorius magnus.
Verum dissimulari non potest,
majorem precationis partem
acceptam esse à Græcis Cle-
mente, Basilio , Chrysostomo ,

& à Latinis, maximè Ambrosio lib. 4. de sacram. Ο *καυος*, appellata precatio est, quod ad hanc verborum regulam Ecclesia ubique hoc sacrum facere solet. Vocat regulam Ecclesiasticam Ambrosius super Timothæum, qua (inquit) utuntur sacerdotes nostri, ut pro omnibus supplicent, &c.

Crebra sacrificii mentio in sacro canone nullum scrupulum afferat fidei illorum, qui norunt non de cruento, sed de incruento de que rememorativo dici, à deoque de sacrificio laudis ac gratiarum actionis.

Prima pars canonis ante verba consecrationis significat tres dies illos inter diem palmarum & cœnam Domini. Verba consecrationis admonent nos ulti-

mæ cœnæ & institutionis sacramenti Eucharistiæ. Elevatio hostiæ & extensio manuum significat extensionem & elevationem Christi in ara Crucis.

Pars canonis, quæ sequitur & secretè legitur, significat silentium Christi in cruce.

Oratio Dominica!

Resp. Ad Liturgiam est ex Evangelicis allata. Petuntur istâ precandi formâ maxima cum minimis, ut potè quibus omnibus indiget Christiana Respublica. Infrà tibi subjecta est hujus orationis explicatio.

Signif. orationem Christi *Pater dimitte illis. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et alia verba quæ in cru-

ce protulit , & ideò altè quoque cantatur.

Fractio hostiæ significat mortem Christi. Immissio particulæ hostiæ in calicem significat Christi sepulturam.

Pax Domini significat fructum passionis Christi , quâ pacificavit nos cum Deo in sanguine suo. Vel pax Domini significat resurrectionem Christi in qua Apostolis annuntiavit pacem.

Agnus Dei ?

Resp. Divi Baptistæ, verbum est, quo ostenditur Christus filius Dei per semetipsum purificationem peccatorum faciens.

Agnus Dei, id est ecce Agnus Dei , qui loco agni paschalis , hircorum & vitulorum nunc of-

ferendus est, & à nobis impræsentiarum offertur. Dicitur *Dei* & qui tollit peccata mundi, ut distinguatur ab antiquis sacrificiis, qui medebantur tantum in virtute hujusce immaculatæ hostiæ.

Hic agnus, cruentum sacrificium, unica victima, vera hostia peccata mundi credentis & pœnitentis sustulit è medio quæ res omnium summa digna est quotidiana atque perpetua rememoratione, juxta ac gratiarum actione. Ille ipse expiator agnus tam beneficus invocatur ab Ecclesia trina compellatione, ut misereatur nostri, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Inter hæc expetitur pax, quæ exuperat omnem sensum, quod

102 *Brevis de Liturgia*
nostrum desiderium osculo san-
cto declaramus.

Significat vocem Centurionis,
verè, inquentis, *hic homo justus*
erat, & pœnitudinem populi qui
percutientes pectora sua rever-
tebantur. Vel significat testimo-
nium Joannis Baptistæ de Chri-
sto prolatum esse verum, cum
diceret: *Ecce agnus Dei, ecce*
qui tollit peccata mundi.

Commune quid?

Respondeo. Quod cantari so-
let sub participationem Eucha-
ristiæ: agnomen habet à com-
munionem, quæ est tam Chri-
stianus populus, quam ipsa cui
communicat Eucharistia, eò
quod communis omnibus Ec-
clesiæ filiis sit. Idem de Synaxi

dicitur, quæ est & plebs sumens
& quod sumitur Sacramentum.

Sign. Gratiarum actionem Ec-
clesiæ pro beneficio redemptionis,
vel significat gaudium Apo-
stolorum de Christi resurre-
ctione.

Ultima collecta significat ora-
tionem Christi, qua pro nobis et-
iamnum jugiter interpellat ad
Patrem.

Ite Missa est?

Olim vitio vertebatur tem-
plo ante sumptionem Eucha-
ristiæ publicam exeuntibus.
Quapropter completa sumptio-
ne & addita suprema precatio-
ne, jubet Mystes non sine bene-
dictione, ut domum quisque
suam redeat. Neque enim ante
dimittebantur congregati, undè

proclamabat Liturgus: Missa est, ac si diceret, & tandem dimitti poteritis, nunc missio est vestri &c. ut Missa pro missione accipiatur, sicut apud Cyprianum, remissa peccatorum, pro remissione: nisi mavis retinere eorum sententiam qui Missah Hebraicum esse docent: huic si suffragare, is erit hujus Catastrophæ sensus: Ite domum sacrificium feliciter peractum est. Estote sancti domi quoque, secundum Evangelium nostrum. Dimittitur populus ad propria, quasi dicat Sacerdos Ite, Missa est finita, vel potius, Ite, Missa est hostia ad patrem.

Benedictio.

Signif. benedictionem Christi

ascendentis in cælum, ubi sedet ad dexteram Patris interpellans pro nobis usque dum veniat judicare vivos & mortuos, qui sit super omnia Benedictus in sæcula. Amen.

*Explicatio brevissima Orationis
Dominica, Authore Beato
Francisco Seraphico.*

Pater noster. Sanctissime Pater noster, Creator noster, Salvator noster.

Qui es in calis, in Angelis, in Sanctis. Illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu lux es, inflammans & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine summum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum.

Sanctificetur nomen tuum.

Clarificetur nobis notitia tua, ut cognoscamus, quæ sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum, sublimitas majestatis, & profundum judiciorum.

Adveniat regnum tuum, ut regnes in nobis per gratiam tuam & facias nos pervenire ad regnum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, & tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra.* Ut diligamus te ex toto corde, te semper cogitando; ex tota anima, te semper desiderando; ex tota mente, intentiones nostras ad te dirigendo & tuum honorem semper in omnibus quaerendo; ex omnibus viribus, om-

nes sensus & vires corporis & animæ in tui amoris obsequio & non in aliis expendendo, & proximos nostros diligamus sicut nos ipsos, omnes pro viribus ad tui amorem trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini ullam offensam faciendo.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Dilectissimum filium tuum Jesum Christum da nobis habere in memoria, intelligentia & reverentia amoris quam ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis fecit, dixit & sustinuit. *Et dimitte nobis debita nostra.* Per tuam misericordiam & ineffabilem passionis filii tui Domini nostri Jesu Christi virtutem & Beatissimæ Ma-

108 *De Liturgia Appendix.*
riæ Virginis & omnium Ele-
ctorum tuorum merita & inter-
cessionem.

*Sicut & nos dimittimus de-
bitoribus nostris. Et quia non
plenè dimittimus, fac nos tu
Domine plenè dimittere, ut ini-
micos nostros propter te dili-
gamus, & pro eis apud te in-
tercedamus, nulli malum pro
malo reddamus, sed omnibus
in te prodesse studeamus.*

*Et ne nos inducas in tentatio-
nem, occultam, vel manifestam,
subitam, vel importunam. Sed
libera nos à malo, præterito,
præsenti & futuro.*

Amen, spontaneè & gratis.

Laus Deo.

005658258

